



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **DAMONGOËNSIS*** IN GANA NOVA CONDITUR
DIOECESIS DAMONGOËNSIS Nuper est petatum ut in Gana nova constitueretur dioecesis quo efficacius consuleretur
aeternae spirituali saluti atque regimini Christifidelium in eadem Natione degentium. Quapropter Venerabiles Fratres
Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi, re mature perpensa
auditisque eorum, quorum interest, votis, ad motam postulationem censuerunt esse accipiendam. Nos igitur, qui
gravissimo fungimur munere Pastoris et Patris universae catholicae Ecclesiae, talem sententiam ratam habentes, summa
Apostolica potestate haec decernimus. A Tamalensi archidioecesi separamus territorium districtuum civilium patrio
sermone nuncupatorum « Western Gonja » et « Bole »; ex eoque novam condimus dioecesim *Damongoënsis*, quam
memoratae metropolitanae Ecclesiae Tamalensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium
Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in urbe « Damongo » atque templum ibidem
exstans, Deo in honorem sanctae Annae dicatum, ad dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum
canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus ad effectum adducet Venerabilis Frater Andreas Dupuy,
Archiepiscopus titulo Saelesiensis atque in Gana Apostolicus Nuntius, qui, re acta, curabit documenta conficienda
sincerisque exemplis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione cito mittenda. Hanc denique Apostolicam
Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum*
Romae, apud S. Petrum, die tertio mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quinto,
Pontificatus Nostri septimo decimo.

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Angelus Lanzoni, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXVII (1995), n. 6, p. 544 © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana